

loco, ubi nunc est Alexandria inter Tanarum, & Burmidam. Sed id verum non existimo, cum trans Tanarum, & Burmidam oppidum hoc extitisse rei evidentia nos cogat hoc fateri. Extant adhuc hujus præclari oppidi monumenta non pauca, quibus probatur fuisse oppidum insigne, & maximum. Invisitur & nunc Turris peralta, & paucis abhinc annis haud procul a dicto oppido visebatur Templum lateritio lapide confectum, sed minuto, ac forti, & quod ætate mea semidirutum erat, moxque omnino solo exæquatum, ita jubente Episcopo Famagostano Visitatore Apostolico de anno 1582., quod indecens esset, & Dei ministerio minime aptum. Unde mirum non est, quod Ticinum civitatem condiderit, ut multis constat argumentis, tum auctoritate Plinii, tum etiam quod Civitas ipsa portam Maricam in Conditoris memoriam retinebat, quam demum regnantibus Longobardis Maringa appellata fuit. Adstipulantur leges municipales civitatis Ticinensis, quæ mentionem faciunt de hac porta Maringa, de qua etiam mentionem fecit Paulus lib. IV. Sunt qui velint petram Maricorum ab ipsis populis conditam fuisse. Reperiuntur adhuc apud Maringum lacus parvulus, fontes perennes, ac pergelidi, qui in summis æstatis caloribus vires suas ostentant, inter quos fons est ille Francisci Milanensii, viri egregii, numismatorum antiquorum solertis indagatoris, qui alias delitiæ fuerunt Joannis a Guevarra Hispani, urbis nostræ Præfetti. Ab hoc etiam oppido nata dicitur, & Nimpha illa Latini Regis mater quamvis fabulose, de qua Virgilius lib. VII. Æneidos sic cecinit;

Majus opus moveo. Rex arva Latinus, & urbes
Jam senior longa placidas in pace regebat.

Hunc Fauno, & Nimpha genitum Laurente Marica
Accipimus.

Quam licet alibi Horatius dicat Nimpham hanc Maricam Deam fuisse Minturniensium, dum 3. Carm. Od. 17. scripsit:

Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lyrin.

Tamen & hoc perbelle contingere potuit, ut nomen indiderit huic oppido, de quo nunc mentionem habemus, vel invitata pulchritudine, & amœnitate agri, oppidum hoc condiderit. In summa dicendum est oppidum Maringhi vetustate nulli cedere, multisque anteferendum esse. De Maringo etiam mentio est apud Carolum Sigonium lib. VI. de Regno Italiae fol. 237., & 238.

Jam sequitur Roboretum oppidum, quod adhuc eo in loco, in quo prius conditum fuerat, residet; nec sedem loco movit, sed ad septentrionem spectat, & apud hoc Quarterium, seu Regionem reliquæ Regionis Civitatis adjacent; & præterea Tanarus amnis secundum ipsum defluit, undisque suis urbis mœnia, & castrum percutit. Castrum erat satis munitum, & solum ejus admodum ut reliquorum fertile; ex cujus situ ob Tanari propinquitatem allecta fuerunt reliqua alia oppida ad idem cohabitandum. Quapropter Quarterium istud priscum nomen, formamque relinquit, nec quidquam immutatum fuit. Ceterum quo tempore ædificatum

fuerit, quidve vetustatis habuerit, nihil compertum habeo, siue rei ipsius antiquitate, siue scriptorum inopia. Unum hoc mihi notum, & perspectum est Templum Divæ Mariæ de Castello eo in loco constructum fuisse ab incolis ejusdem Civitatis, in quo olim situm erat Castellum dicti oppidi, & nunc visitur terra acclivis, & quæ paullatim se attollit a cætero solo Civitatis. Ædes sacræ ipsæ magnificentissimæ, & amplissimæ sunt, luminisque permulti, egregieque ad ibidem multos sacerdotes alendos confabricatæ, annoque præfenti, dum hæc scriberem 1584. die 5. novembris Cœnobitæ ipsi, qui sunt Augustinianæ familiæ Regulares Canonici superadditis novis operibus, & organis ornarunt, ita ut nihil desit ad veram magnificentiam. Visitur etiam in eo Quarterio Ecclesia sancti Syri in memoriam tanti viri ædificata. Famaque est constans eundem Syrum esse, qui dicitur tradidisse quinque panes ordeaceos Christo, vel ipsum Dei verbum prædicasse, vel Discipulos huc suos ad ibidem prædicandum misisse; eadem Ecclesia est antiquæ structuræ. Dicitur Vespasiano Imperatore regnante profectum esse Beatum Syrum ad accolos Tanari fluminis, finitimasque regiones, cum quibus diutius commoratus, multum profecit, multosque populos inde convertit.

His proximum est Bergolium aliud Civitatis Quarterium, seu regio, quæ est trans Tanarum (Tanarus enim mediam urbem dividit): hoc ita ad occasum spectat, Alexandriamque civitatem terminat, quod oppidum dicitur paullo longius versus colles ab eo, quo nunc situm est loco, stetit, diutiusque deliberatum per incolas an cis Tanarum cum reliquis Quarteriis sedes suas collocarent; an vero in eodem loco, in quo nunc condita est regio restarent, quod tandem constituerunt impulsu agrorum vicinitate, deterriti vero impensarum magnitudine, quæ ab eis necessario subeundæ erant, si cis Tanarum ædificarent. Potissima vero ad hoc capiendum consilium consideratio hæc fuit. Prospiciebant enim universi cives, si trans Tanarum, pomerium Civitatis promoverent, longe pulchriorem Civitatem futuram, ac multo commodiorem, posseque junctis utrisque fluminis ponte ripis unam, eamque ampliolem, & angustiolem reddere. Sed quemnam oppidum illud auctorem habuerit, quemve ædificatorem ob rei antiquitatem incolis notum non est. Illud tamen pro confesso est mirum in modum Civitatem ex hujus frequentis, & pulcherrimæ regionis accessione viæque ad lineam directæ se ita secant, ut nullo negotio liceat alterum e regione viarum existentem, & deambulantem spectare (1). Duo item insignia oppida vetustissima

(1) Archiepiscopus Mediolanensis unum ibi Monasterium, & duas Ecclesias possidebat, quas Alexander III. Oberto Archiep. Mediol. confirmavit cum aliis bonis, ac juribus speciali diplomate anno MCLXII. relato a Sormanno de anathemate contra Gallos pag. 232. ubi inter cetera hæc leguntur in rem nostram, in Aquensi Episcopatu Monasterium S. Quintini de Splegno (Spigno), in Bergolio Monasterium S. Petri, Ecclesiam S. Johannis, & aliam S. Stephani cum earum capellis. Confer. Chron. F. Jac. ab Aq. par. II. Col. 144. lin. 27. & seq.